

tiùs oblivionis, quàm memoriæ sibi optaret. Sed Deus suarum creaturarum adeo Dominus est, ut voluntati suæ resistere minimè valeant, & ab eo tam strictè dépendent, ut, si semel ab iis cogitationem suam averteret, statim in nihilum redigerentur.

13. Ex quibus omnibus tandem clariùs, opinor, intelligitur, quomodo Apostolus dixerit Act. XVII. 27. 28. *Dominus non longè abest ab unoquoque nostrū. In ipso enim vivimus, movemur & sumus, &c.*

## EXERCITATIO XXIX

*Creatio & conservatio revera sunt idem*

1. **C**um actio non sit in agente aut faciente, sed in fiente, ut sic dicam, sive in eo quod fit, secundùm receptam Philosophorum sententiam & rei ipsius veritatem, de creatione quoque & conservatione dicendum erit, eas non esse in Deo; sed in re creata & conservata, ut in subiecto.

2. Opponis: cum per actionem agens, & per talem actionem tale agens sit ac dicatur, quomodo Deus creator & conservator omnium esse ac dici queat, nisi in

O 4

ipso